

fit pulchrius & amabilius, gratum hoc nostrum studium multis fore confido. Cognoscent hinc, hac accessione parallaxeos omnibus phænomenis accommodata, non contemnendum auctarium Meteorologicae doctrinae afferri, per quod ipsi & lucis & auctoritatis plurimum accessurum esse confidimus.

Quomodo inueniatur parallaxis & distantia à centro terræ eorum phænomenum, quæ aliquandiu consistunt, nec protinus euanescent, & supra horizontem apparent, nec subducuntur. Cap. 7.



QUEMADMODUM in stellis affixis, sub aliqua cæli inclinatione, considerare solemus quæ illarum semper extent, aut item quæ præteruehantur circumferentiam horizontis, illumq; solum perstringant: aut rursus quæ ascendant supra horizontem, ac infra eundem demergantur. Ita etiam de phænomenis accipiendum est: quod eadem illis accidere possunt, nimirum ut vel supra horizontem absq; demersu appareant, circulosque paruos circa polum mundi describant: vel præteruehantur finientem: vel eundem prorsus subeant, & rursus ab eodem attollantur. Quæ omnia excutiemus hoc loco, docebimusq; quomodo omnium eiusmodi phænomenum, quæ modò aliquandiu consistunt, nec protinus euanescent, parallaxes verusq; illorum in aere aut cælo